

## MARCVS ET TVLLIVS

### IN THEATRUM VENIVNT

*Vlissipone in urbe pueros quibus nomen alteri Marcus alteri Tullius erat, uia quadam, colloquentes inuenimus. Quales sint ex sermone ipso intelligere potes. Num per iocum colloquium istum fecissent, cum ad theatrum, uulgo dictum de Bairro Alto (alias, Alta Regio), appropinquassent, an, ubi per multos annos permansissent, de uaga stella cecidissent, dicere non ausimus. Fortasse per somnium haec nobis occurrerunt. Ignoscas, sis, optime lector, audaciam nostram et imprudentiam; propositum, quod in animo nobis fuit, tantum retineas. Audeas nobiscum quoque ridere, etiamsi uita amara est. Si quid absonum aut inconcinnum hic inuenias, scias non tibi fabellam litteris consignasse auctorem; aliam consere ipse, et, si tibi placet, eam nobis mitte, ut, cum typis mandemus opportune, lectores nostros certe delectes.*

*Valete, omnes pariter. Salutem uobis dicit  
ARIAS AUGUSTUS qui haec scripsit  
MARIA HELENA CASTILHO quae pinxit.*



- Marce, Marce ! Ecce, hodie in theatro plautina actio agitur. Nonne mecum uenire uis ? Schedulas habeo.

- Quid loqueris, Tulli mi? Actio plautina agitur? Quomodo fiet? Num Plautus in scaena agit ? Multi saeculi sunt cum auctor ille mortuus est... Bellum populus Romanus secundum gerebat cum Poenis, si bene memini...

- Plautus equidem mortuus est. Attamen ignoras turmam actorum quae Cornucopia dicitur opus plautinum in scaena agere ?

- Cornucopia... Rectene audio ? Turma quae ab Aloisio Michaelaele Sintra ducitur ? Benissime !

- Benissime ?! Stolide, grammaticam nescis et linguam latinam offendis. Optime oportet dicas.

- Verum, in ludum non misit me pater ; substantiam argentariam non habebat sicut tuus, et mihi opus erat laborare a mane usque ad uesperum.

- Necesse mihi non fuit in ludum ire ut superlatium gradum discerem . Apud Dauum, bonum seruum et litteratorem optimum, in paterna domu, emendatam latinitatem didici !

- Bah ! Magna loqueris ! Tibi prosint gloriolae tuae! Pater meus proletarius est; a me ipso litteras didici et Plautum meum lego. Superlatium tuum tolle. Nihil ad me attinet emendatio tua. Nisi fallor, lusitanus puer, quocum heri locutus sum, aiebat: "in atramentis sum"! Intelligisne ?

- Marce, unus et idem ipse es ! Grammaticam nunc praetereamus. Verbum meum ignosce. Aut aliquid tibi nunc est faciendum ?



- Verum apperiam: puellam in animo mihi erat uisitare, quae hodie domi sola manet; parentes uillam rusticam emerunt et absunt ad boues experiendos.

- Cur eam non inuitas in theatrum? Sellae adhuc sunt et argentum habeo.


- Puellam in theatrum ducere? Progressista es! Manum tuam da. *Viuant puellae! Viuant Tullius et Marcus quoque!* Nunc numus mihi commoda ut telephonio cum illa loquar...

- Verbum quod dixisti non intelligo; barbarismus est, nisi fallor. Numus autem tolle. Satisne?


- Satis superque; uerbum meum non intellexisti quia litterator tuus absonum et peregrinum omne uerbum uitabat tanquam scopulum. Homo sum; humanum nihil a me alienum puto. Num Terentium tuum non legisti? Breui reueniam.

\*

Ecce illam! Paula cum Marcella uenit!  
Quomodo uales, Paula? Et tu, Marcella?  
Num Tullium non cognoscitis uos?  
Filius Ciceronis est et amicus optimus. Hodie nos omnes in theatrum inuitat. Eamus!



- Eheu! Quid facit actor ille ?
- Marce, linguam quam loquuntur uix intelligo, sed mihi uidetur proxima linguae latinae.
- Nihil noui dicis. Plautum ipsum uix intelligeres propter affectationem uerborum tuorum... Actionem serua. Quid facit furcifer ille ? Auriculas eius euellam !
- Marce, uerba tua pondera; dicta textorum minime decent apud puellas.
- Porro! Hodie non natae sunt illae et matrem audierunt saepius. Si tu audire non uis, aures tuas claude. Num Plautum non audis?
- Heu ! Quid dicat Dauus meus qui auctores saepe purgabat prius quam legissem ?...



- Infelix pusille ! Vitam ignoras et mendose accessisti ad auctores nostros.
- Discedam continuo. Parentes magistrum que colo et pudet me haec audire.
- Pax esto, mi Tulli, et paulum expecta. Nondum finita est actio. Postea, in bibliopolam ibimus. Amabo te si paulum adhuc manebis.
- Propositum tuum accipo. Interea scaenam considerabo. Tu, uero, tace, sis; iam satis locutus es.